

† Adm. R. P. Adalbertus Nipocki (1880-1938)

(Prov. Polon.)



Natus in pago Żolynia die 12 Martii 1880 et institutione elementari accepta in loco nativitatis gymnasium publicum frequentavit per annos quatuor Resoviae. A. 1898 receptus est in iuvenatum nostrum Tuchoviae, ut duas sequentes gymnasii absolveret classes. Absoluto d. 2 Augusti 1901 novitiatu vota perpetua emisit in domo nostra Mościska. Decursu duorum annorum sequentium studia humaniora continuavit Tuchoviae, donec 1903 examen « maturitatis » in gymnasio publico Cracoviae feliciter fecit. Sacrae theologiae cursum in domo nostra Mościska et ab a. 1906 in

domo Maksymówka, postea derelicta, prosecutus est ibique d. 28 Iul. 1907 ordinatus est sacerdos.

Anno sequenti, absoluto studiorum curriculo, domui novitiatus Mościska adscriptus est, ut Magistrum in formanda iuventute iuaret. Eodem tempore ad opus missionum sollerter sese praeparabat et saepe saepius in

¹ *Il Monitore ecclesiastico*, qui nunc a Patribus Lazaristis editur, moderatore R. D. Ioanne Mussinetti C. M., nuntio obitus Patris Petrone hoc enconium breve, at grave addit: *Religioso ricco di pietà e dottrina, dotato di singolare zelo e di non comuni attitudini letterarie* (1938, p. 240).

missionibus cum primis et maxime expertis missionariis Provinciae Polonicae laborabat. A. 1911 nominatus Magister novitiatus, eo munere functus est usque ad annum 1918. Elevatus ad munus Rectoris domus nostrae Cracoviensis per annos sex non solum prudentissime concreditum sibi gregem gubernavit, sed etiam missionibus plurimis operam navavit, maximo semper zelo gloriae Dei et salutis animarum subditis suis prae-fulgens. Annis sequentibus officio Rectoris domuum nostrarum Mościska (1924–1930) et denuo Cracoviae (1933 usque ad obitum) functus est, nihil unquam remittens de opere missionum popularium. Cracoviae non solum Rectoris, sed etiam utraque vice Consultoris provincialis munus gerebat. Ultimis annis vitae suae saepius graviter aegrotabat, quo factum est, ut satis improvise et fere repentino modo, accedente ultimis diebus phthisi pulmonum, vita functus sit, die 7 Iunii 1938.

Carissimus hic confrater noster inter eos Congregatos numerandus est, qui toto vitae suae decursu optimo exemplo omnibus fuere et omnia concredita sibi munera fidelissime et cum optimo successu implerunt, quorum ergo memoria per tempora perpetua inter nostros sustineatur oportet.

Iam tempore novitiatus sui P. Nipocki cum zelo ardentissimo viam perfectionis religiosae ingressus est et quidem tam firma voluntate, ut numquam decursu ulterioris vitae suae, sive tempore studiorum sive inter continuos labores apostolicos, de studio vitae perfectae quidquam remitteret. Etiam ultimis annis vitae, quibus robusta olim valetudo eius in dies infrangebatur, sibi minime parcebat, sed eodem semper zelo et perseverantia sanctificationi propriae adlaborabat, quod quidem omnes confratres facile testari possunt.

Vir orationis certe P. Nipocki appellari debet. Nil publice noscitur, num dono orationis extraordinariae et passivae praeditus fuerit — immo potius certum videtur eum via communi peregrinatum esse in oratione — eo tamen magis admiranda est sancta illa tenacitas, cum qua Deo inhaerere satagebat per innumeras cotidie iteratas preces. Non est dubium, quin praecepta S. P. N. Alfonsi de continua oratione, saltem vocali, in usum deduxerit modo vere perfecto. Et sicut in vita, ita etiam morti proximus orationi instabat, ita ut ultimi dies vitae eius vere cuidam continuae orationi non essent absimiles. Immo, mentis iam non omnino compos ultimis horis vitae, tamen preces iaculatorias repetere non destitit.

Spiritus orationis, quo absque dubio plenus erat P. Nipocki, in eo virtute perfectae abnegationis sui sustentabatur et augebatur. Nemo unquam illum reprehendere potuit ob mollem et commodam vitae rationem vel ob proclivem in commoditates vitae indolem. E contra, testes vitae eius facile in eo conveniunt, Patrem Nipocki potius strenuo militi comparandum esse, asperis rebus asueto. Poenitentias extraordinarias non videtur deduxisse in usum, quod ceterum vix prudens fuisset intra maxime

laboriosam missionarii vitam, sed fidelissime semper adhibebat exercitia poenitentiae communiter in Congregatione nostra commendata et vigentia. Vir ergo fortis merito vocari debet.

Id etiam in laudem defuncti confratris dicere liceat, asperitatem in seipsum non redundasse in proximos, quod in naturis fortibus facile accidit. P. Nipocki moderatione semper excelluit in suis ad alios relationibus, sive subditos sive aequales. Vix unquam contra subditos durius egit. Nil ergo mirum, quod inter Congregatos Provinciae suae « inimicos » non habuit; ex parte Superiorum vero semper confidentia maxima fruebatur. Prudens mansuetudo totam eius agendi rationem semper signabat.

Omnibus demum confratribus admirationi fuit eximius zelus animarum Patris Nipocki. Sive Superioris munere fungebatur sive subditus erat, pari alacritate labores, incommoda, difficultates et asperitates missionum popularium in tota Polonia subibat. Finem fecit laboribus suis demum aliquot ante mortem hebdomadibus, cum medicus declarasset periculum summum esse ante portas cumque debilitas physica celeri gressu auferetur. Ultimis his decenniis P. Nipocki absque dubio inter principales Poloniae missionarios numerabatur. Zelus ille eo magis laudandus est, quod intentio defuncti in quaerendis animabus, omnium confratrum certa opinione, semper fuit perfecte supernaturalis. Nemo unquam suspicari eum potuit labores apostolicos subire ob qualescumque rationes humanas.

Ob suas virtutes ac pietatem omnibus etiam saecularibus admirationi et aestimationi fuit. Accepta eius e vita decessus notitia unus ex eis, vir spectatae virtutis et auctoritatis, officio nempe iudicis Cracoviae fungens, haec nobis verba scripsit: « Discessit a nobis Deo sic disponente in mediis laboribus suis P. Nipocki, vir sane magnus spiritu, modestia plenus, totusque Deo et animabus deditus, infatigabilis innumerabilium animarum director, expertus earum medicus, qui omnibus semper verba exhortationis atque consolationis invenire valebat. Moerore ac dolore omnes affecit discessu suo. Abiit ad Deum copiosam mercedem accepturus infatigabilis sui laboris, magnanimitatis zeli que animarum ex inferioribus hominum classibus, cui tamquam unico vitae suae fini se totum devoverat. Qua de causa omnes amici eius ac noti, profundissimo moerore et dolore sane verissimo confecti, lugentes ultima erga eius mortales exuvias funebria officia persolvent ».

Perfecta virtus defuncti clarius lucere coepit ultimo vitae eius anno, praesertim ultimis ante obitum mensibus. Praevidisse videtur cum aliqua certitudine approximantem finem peregrinationis suae. Somnium se habuisse narravit eo tempore de instante decessu suo, monstratumque sibi fuisse tempus laborum apostolicorum expiraturum esse circa Pascha, et brevi tempore post ex hoc saeculo se migrare deberet. Rei eventus monstravit somnium non fuisse vanum, immo signa originis supernaturalis in se ha-

buisse. Adeo quidem Patri Nipocki de veritate somnii sui persuasum erat, ut palam annuntiaret confratribus se anno currente moriturum esse. Et finem suum praevidens iam primis anni mensibus exercitia spiritualia annua sibi instituit, quo melius ad mortem sese praepararet.

Et certe bene, optime praeparatus vitam finivit. P. Nipocki non ex iis fortasse fuit, qui «decem mnas» naturalium et supernaturalium donorum acceperunt, ei potius servo similis videtur, qui quinque mnas accepit. Cum acceptis tamen gratiis et donis tam fideliter semper cooperatus est ut in aeternitatis limine certe hanc vocem dulcissimam audierit a Domino: *Euge serve bone... intra in gaudium Domini tui.* R. I. P.